



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO VNDECIMA

Græca.
Vulgata.
Syriaca.

7. Εἶπε πόσοι μισθοιοὶ τῆ πατρὸς μεσ ὠρεισοῦσιν ἀγρῶν.
γὰρ ἢ λιμῶν ἀπόλλυμαι.

7. Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei ad-
dant panibus, ego autem hic fame pereo.

7. Ait, quot nunc, sunt nunc mercenarij in domo Pa-
tris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.

ARGUMENTVM.

- Dicemus
hodie.
1. Quod verba ista, maximam contineant
exaggerationem, miseriarum nostri Pro-
digi.
 2. Quantum profuerit aliquibus, à patria, &
suis aliquanto tempore abfuisse.
 3. Prodigi patrem & herum, Dominos fuisse,
admodum diuersos, in famulos, & pa-
trem ipsius fuisse liberalissimum.

A V E.

I.

Quod verba ista maximam contineant exaggeratio-
nem miseriarum nostri Prodigij.



ICVT qui post insolentem Turcarum
aut Barbarorum victoriam in ciuita-
tem suam redit vastatam, direptam,
euerfam; mænibus, ædibus, palatijs,
templis, tormentorum vi, flammis,
arietum quassatione deiectis, videns
iam omnem per plateas solitudinem, & vastitatem;
campos ubi Troia fuit, Tempora versa in desolationem,
palatia in rudera, aulas in stabula, nec lapidem man-
fuisse super lapidem (sicut in capta sub Tito & Velpa-
fiano Hierosolyma) aut si forte aliqua persisterit do-
mus, non collapsa ex toto, omnem tamen supellecti-
lem sursum deorsum, huc illuc versatam, *Dispersos*
lapides Sanctuarij in capite, omnium platearum. Verum
Chaos,

Virg. Æn.

Chaos, repletum putore, fuligine, sordibus, semiuo-
rata cadauera à canibus & vermibus, exesaque pu-
redine, horrore magno stabit immotus, & obrige-
scet instar statuae quam primum ad tale admissus fue-
rit spectaculum: magnis dein se signans crucibus, &
tandem vix ad se reuersus, suspirat, ingemiscit, & mil-
lies cum Ieremia exclamat: *Quomodo sedet sola ciuitas*
plena populo; facta est velut vidua domina gentium? Prin-
ceps provinciarum facta est sub tributo. Præcipitavit Do-
minus nec peperit omnia speciosa Iacob: tetendit arcum
suum quasi inimicus, firmas dexteram suam, quasi hostis:
Occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo fi-
lia Syon. Quæ miseratio! quod lamentum! quæ muta-
tio rerum! O Diuum domicilium! nõ hic iam Troia,
non iam meum regnum! Quo vadam, quo me con-
uertam, vnde hæc reædificare incipiam?

Thren. 1.
Idem cap. 2.

Virg. 2. Æneid. sed de Sinone.

— *Vt conspectus in medio turbatus, inermis.*
Constitit atq; oculis Phrygia agmina circumspexit,
Heu qua nunc tellus (inquit) qua me æquora possunt
Accipere: aut quid iam misero mihi deniq; restat?

Sic opinor, dilectissimi: Prodigus noster (qui tam
diu peregrinus & à se ipso extra animam suam ober-
rarat exul voluntarius) tandem, in se reuersus post lon-
gam absentiam, postquam Satan & peccatum inimi-
ci victores digna ac indigna, victoribus insolentibus
consueta exercuissent, videns se foris & intus confra-
ctum, partim incendio, partim ruinis, partim deor-
dinationibus deiectum, vitam infectam, ac depraua-
tam, sine intellectu, sine ratione, sine Dei memoria,
sine amore cælestium, sine inferni timore, sine Dei
hominumque reuerentia, spoliatum omnibus, diu
quasi extra se raptus, & stupore stetit attonitus: cadēs
forte in terram, sine voce, signis tantum, & lachry-
mis, & in cælum suspitione loquens; torquens ma-
nus, iactans pedes, plangens percutiensque seipsum.
Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus *Ier. cm. 31.*
sum, & erubui, Psal.

Obmutui, & filii à bonis, & dolor meus renouatus est.

M Obstupui,

Virg. Æn.

Obstupui, steteruntq; coma, & vox faucibus hæsit.
 Dein vero restituta voce, quis dubitat exclamasse, ac vehementem animi perturbationem, omnibus modis ostendisse, quod Græci *μαρτυριον* appellatur in hunc modum. *Quanti mercenarij in domo patris abundat panibus, & ego hic fame pereor* Allegoricè: quoniam anima inter gregarios qui Deum timent, Dei sermonibus implentur, abundat consolationibus internis ex benefactorum conscientia; & ego, qui ad meliorem natum eram, ecce instructore careo, pastore animæ, inter media excarnificatus peccata. Hæc peccatorum cantio. Adolescens historicus, aut verus Prodigus, videns miserimum statum in quo spiritu constitutus erat, statumque in quo aliquando fuerat, ac iam non erat; proculdubio pro tempore etiam totus obtupuit ac obmutuit; ac paulo post, hac aut simili voce erupit. O quot mercenarij apud bonum meum patrem feliciter agunt, & ego hic quam misere! Mercenarij panibus ad saturitatem implentur, & ego filius, Eheu! etiam filius, fame contabesco! Ah miserum patrem, filiam autem etiam multo miseriorem! Expendamus quæso, dilectissimi, singula huius adolescentis verba. *Quanti pro quot*, iuxta Caietanum, & Ariæ Montani versionem. *Nam quantitas hic secundum quam aliqua dicuntur aliquot*. Efferturque cum gemitu, quem attendere oportet in isto loquendi modo, inquit Caietanus. Pronuntiandum enim est, inquit S. Bernardinus, ac si quis dicat heu! eheu quam multi &c. O quantus numerus, o quantus mercenariorum grex, abunde nutritur. *Ego autem*, filius tanti patris, non mercenarius sicut ipsi, hic solus ab omnibus destitutus, fame enecor, pro tenui tantum seruiens victu. Altius paululum hæc repetamus, & videbimus nullum verbum carere antithesi.

Primo enim, multitudinem opponit unitati. *Quanti, quam multi, ego autem vnicus & solus*. Quot mercenarij; non vnus, non duo, sed integra agmina; ego vero solus, & tamen &c. Pater meus tam multos adeo alit liberaliter; & hic herus ne vnum quidem

dem. Ibi omnes tam fortunati; ego hic solus in infortu-
 nio, sine fci, sine solatio. *Ferre, quam sortem parti-*
tur omnes, nemo recusat. dicit Seneca. Illud (ego) plane
 emphaticum est:

Ast ego qua diuim incedo Regina, Iouisq;

Et soror & coniux.

Secundo comparat statum statui, qualitatem qua-
 litati, dicens: *illi mercenarij, meliora stipendiarij à meo;* *Cic. lib. off.*
scilicet, merces, stipendium, primum, & pretium laborum; ho-
mines, quorum opera non quorum artes emuntur, ait Ci-
cero.

Opifices tantum, mechanici, diurnæ operæ; non
 domestici, non fratres, non cognati mei, sed externi,
 etiam qui in diem seruiūt. *Ego autem filius, boni illius*
Domini; filius non adoptiuus, sed naturalis, & mini-
mus quidem natus, Iacob diligebat Ioseph, eo quod in se-
nestate genuisset eum. Et ego filius, ac proinde liber natus. *Genes.*
 natus, natus diues, atque in opulentia, illis omnib. peius
 habeor. Aut dicere voluit: si mercenarij illi sunt, sum
 & ego hic Heri mei mercenarius, non bello captus,
 non emptitius sed conductitius; non tamen hic ira-
 tor, sicut illi apud parentem meum. Vel, Illi patris
 mei mercenarij, præter stipendia satis larga, liberum
 abundantemque habent victum; & ego quamuis hic
 ab Hero meo nec teruntium luctor, & pro victu ser-
 uiam, pereo nihilominus fame, nec canibus, nec por-
 cis domini mei æquiparatus.

Tertio. *Locum loco* componit, secundum Latinam
 videlicet versionem: Nam in Græco non est (*in domo*)
 nec aduerbium loci (*hic*) *Ego autem hic*: sed solum
 (*quot mercenarij patris mei abundat panibus, ego autem*
fame pereos.) Secundum Latinum igitur textum, quasi
 sic dicit. Illi ibi in regione sua sunt, ego autem hic in ex-
 tra, in peregrina terra; egregie extenuatus fame, extra
 notos, & quasi ciectus à meis. Vel, Illi ibi sunt in do-
 mo, sub tecto, extra pluuias, extra turbines: ego au-
 tem hic in agro, sub diu; vento pulsor & grandine,
 instar bestiae, peius fere damnatus quam ad tritemes.
 Vel, Illi ibi sunt *in domo patris mei*; ego hic stabu-
 M 2 latus

latus in putenti hara, inter porcos, dormiens in stramine, aut humi cubans, et ca vermium & cimicum, fame perditus. Vel iuxta Græcum, qui non habet in domo, nec hic, quasi dicit, mercenarius patris mei, qui foris etiam ipsi seruiunt, ut vinicores, fossores, coliones, &c. victualibus abundant, aut ultra condic stipendia liberaliter concessis, aut quia magna lucratur stipendia, eaque in diem persoluntur, facile redemptis: At ego mercenarius tanquam ipsi, nec corollaria accipio, nec dona, nec lucellum meum victui sufficit, & quamuis exiguum sit quod debetur, ægetamen soluitur: tantum non fame morior. Illi tibi argentum & victum accipiunt, argentum in bursa, victum in bucca; mihi neutrum est. Et hoc etiam plus mihi videtur habere energiæ, ac magis amplificare adolescentis miseriam, & Heri tyrannidem, qui gratia imperabat seruitia, mercedem insufficientem & iniquam, nec solvens bene, nec suo tempore, quam promiserat. Ah (Deus bone) quot herus iste habet socios, qui carnem & sanguinem operariorum deuorant! quas non merentur isti inuestiuas, sed non habemus hoc loco tales (si adessent etiam in turba centies mille hominum, dicerem quod æquum est & quod sentio) pergamus igitur.

Quarto. *Quantitatem quantitati* comparat: abundantiam extreme inopiæ. Abundant inquit. Græcum *ὑπερπλοῦτος*, amplius quid dicit. Significat enim *superant* aut *superfluit*. Hoc autem plus est quam habere satis. Græca igitur quasi dicunt, *ingurgiri possunt illi* si velint; ego autem hic fame pereor, non vulgari modo esurio; extreme inops, nec si liquas habes, nec illa quæ solis apponuntur porcis; sed conficior inedia, nihil habens quo stomachum placare queam latrantem, fame rabidus atque enectus: illi tibi liberaliter se tractant, ego hic liberaliter ieiuno. O quando ille redibit dies, ut & ego satur me curem hilarius!

Quinto. *Panes* opponit *peremptoria fami*. Illis, inquit, panum copia, mihi famis: illi tibi nimium, ego hic nimis parum: nimium dico, nam distenduntur;

nec vno quidem genere panis, sed panibus variis primo & secundo (vivit si quis: & pane secundo, ait ille.) ventre infarciunt recenti, nouo, calido, hesterno, frigido, & c. sumunt quantum & qualem volunt; fruuntur, solis mensa, in domo patris mei. Vel panibus, inquit, quia quilibet pro gradu suo ac officio quod gerebat, aut profide ac diligetia, primario aut secundario alebatur pane; quilibet tamen suo abundanter. Ego autem aduersa luna natus, digitos rodo, nec filiquas prandeo, coniuua porcorum. Si quid mihi nimium, hoc firmes est; si quid copiosum, illud esuriet. Venter & intestina mihi crepitant, ac leporem intus habent, qui vitimæ vix meminit prædæ. Parum abest quin ut famelicus lupus terram vorem, aut ut serpens, terram comedere omnibus diebus vitæ suæ, diuina sententia damnatus.

Vide Calium
Rodig. lib.
16. ant. lect.

Genes. 3.

Macrob. Act. 1. Scen. 3. Colax parasitus.

Instar puerperæ gemellos qua edidit,

Flaccesco ventre, quatruiduanam ob inediam.

— le semble ce Vautour,

De qui iamais la faim du gosier n'est ostee,

Deuorast il cent fois cent cœurs à Promethee.

Fame pereo, morti vicinus, ut lampas sine oleo.

Non hæc hyperbolice (ut sentire videtur Gislantis) De Gislantis q. 12.

neutiquam: sed simplici veritate. Nihil mihi iam præter pellem & ossa, factus vera mortis imago, collabescens in vestigio; capilli, quos olim vanitas crispauerat, omnes fere in terram sparsit paupertas. Pro crimi-

Isai. 3.

spanti crine caluitium. Excrescunt mihi digitorum ungues inaccisi, qui dorsum scabaut, pulices me viuum credunt, super sum nudus ut pomilegulus, venditus & traditus, ut viuam que ad vsque Mori restat, fame

eneca.

pereo. Iam septimum aut octauum ut poterat sine cibo agebat diem: homo enim famem sustinet, ut Gellius

Aul. Gell.
lib. noct.

inquit, diebus octo aut nouem, ut non moriatur. Et magnam emphasim habet quod dicat potius fame

Att.

pereo, quam labore; quia ut in prouerbio est miserri-

um fame mori.

Ieremias Melius fuit occisis gladio quam interfectis fa-

me. De hac re dictum tomo secundo horum sermorum.

Hic enim quasi dicit, utinam me vel gladius transideret, vel in rotam leuer, aut furcam, (salua tamen anima ac animæ iactura) Sed fame, toties me morcupat, quoties me venter allatrat: hic mihi langre morte peior est, & hoc famis supplicium omni cruentu crudelius.

Guilielmus Gnaphæus in acolaſto Act. 5. Scen. 4

Qua de inferis narrantur fabulosa sunt

Omnia, si non veros patior inferos.

Pfal.] *Dolores inferni circumdederunt me.*

Pfal.] *(Damnati enim) famem patientur ut canes.*

Pfal. 101.] *Aruiſt cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.*

Pfal.] *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea infirmata eſt.*

Iuxta versionem Syriacam quæ habet particulam *nunc*. *Tempus opponit tempori*, dicens: *nunc*, hic durante fame, illi ibi quam habentur laute. *Qua sunt nunc mercenarij, &c.* O miserum me & infelicem, unde & quo deveni? quis fui, & quis modo sum? Quid agam? quid faciam? quam belle hæc in me recidiunt stultitia? O pater, ô pater mi ubi es? & tu ô frater quam beatus, qui apud patrem mansisti? O me rer infelicem, qui ipsum demisi: quis unquam tale mihi ominatus fuisset infortunium. Ah miserum, ve boni *Fui, fuimus Troes; fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum.*

Virg. 2. Æn.

Boet. lib. 2. de consol.] *In omni adversitate fortuna, infeliciſſimum genus infortunij eſt, recordari ſe fuiſſe felicem.*

Cic. Ep. ad L. Luceium (Habet præteriti doloris ſecura recordatio delectationem, lib. 5. epp. ad ait Cicero. Et hæc olim meminſſe iuvabit, dicit Poeta.) *fam.*

Virgil. 2.

Æneid.

Sic etiam priſtinas meminſſe fortunas longe acerbisſimum, longe miſerrimum. Bene tamen res habet quod recordetur quis fuerit, & recognoscat quis ſit bene habet quod gemat, quod ſuſpiret, ac fleſctatur.

In ho

In hoc Prodigis noster multos confundit, qui nunquam suam recognoscunt miseriam, & qui cauti- bus duriores & incudibus nullis tribulationibus e- molliuntur, nec rugiunt, nec gemunt, nec vlla tan- guntur inuerecundia: *qui assiduis conuitiis, calamitati- bus depudere didicerunt.* D. Bern. lib. 5. ad Eugen.

Homines effrontes, duri, ac adamantini cordis: quorum pectus nec compunctio scindit, nec pietas e- molliit, nec preces mouent, nec minæ terrent, quos verbera indurant; ingrati beneficiis, infideles consi- liis, crudeles iudiciis, impudentes ad scelera, impauidi ad pericula, inflexibiles ad omnia: qui non magis fla- gra timent, quam caudas vulpinas, & (vt vno conclu- datus verbo) dura corda, quæ nec Deum timent nec homines reuerentur.

Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Ierem. 9.

Iob 41.] *Cor eius indurabitur tãquam lapis, & strin- getur quasi malleatoris incus.*

Diabolis obstinatior. Necdum omnino concla- matum ac desperata res est, quando quis lapsus reco- gnoscit errorem, rugit, gemit, accusat se, ac confitetur miseriam suam descendere à peccato. *Peccata vestra* Ierem. 5.
prohibuerunt banum à vobis.

Cicero 4. Tusc.] *Cum dissolutus filius, heu, me mise- rum, dixisset: tum seuerus pater, dũmodo doleat aliquid, doleat quod labor.* Ex Afranio.

Ibid.] *Morderi est optimum conscientia, post commis- sum facinus.*

Senec. in Agamemnon. Act. 2. Scen. 2.] *Quem pœni- tet peccasse, * pene est innocens.* * al. pœna.

Sic Diogenes laudabat adolescentem, qui repræ- hensus erubescerebat, adiiciens hoc esse ex virtute. Sic & Ieremias Propheta, pessimum putat augurium pecca- to non verecundari. *Frons mulieris meretricis facta est* Ierem. 3.
tibi, noluiſti erubescere.

Comicus etiam, quasi bonum signum ac generosi animi notam adfert, adolescentulum coram patre e- rubuisse: *erubuit* (inquit pater de filio) *salua res est.*

Si erubescere bonum signum est, gemere etiam melius. *Terent. in Ad. Act. 4. Scen. 5.* *Cum ingemueris, tunc saluaberis:* qui enim gemit, certo demonstrat esse aliquid in opere suo quod displiceat, quod infectum mutatumque velis, si posset.

II.

Quantum profuerit aliquibus, à patria, & suis aliquanto tempore abfuisse.

NOtate hic parentes & filij; non sensisse Prodigum paternarum ædium bona, quæ optimus pater Deus & natura ipsi subministrabant, donec inde aliquo tempore peregrinatus, externam expertus est seruitutem.

Chrysologus sermone 1. de Prodigio.] *Expertus est miser, quod est penes patrem dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor latius, blanda vitio, paupertas diues, secunda possessio.* Hinc discite patres ac matres, quando vobis nimium recalcitrant filij, semperque obluantur, duri, intractabiles, si minentur aliquando, vt accidit, fugam ac desertionem, aut nimis importune veniam petunt alium quærendi magistrum, ac visitandi terras; non nimium obstare: dummodo non sit animæ periculum, vel per religionis mutationem, aut per mala consortia. Videmus enim necessitate ipsos sæpe melius erudiri, domari, & reformari, quam cura laboreque vestro. Verum enim est illud prouerbij: videri quid amicus valeat cum perierit, ac desiderari repudiatum. Nescitur quid sit, parentes habere, eisq; seruire, donec excidant, aut experimentum sumatur iugi seruitiique externi, *Contraria iuxta se posita* (inquit Philosophus) *magis elucescunt;* & violæ melius olent, dicunt hortulani, inter allium & cepas. Nescitur quid pax sit nisi bello, quid sanitas nisi morbo, quid libertas nisi seruitute. Dominus etiam noster dimittens populum secundum desideria sua, permittit vt in graues dominantium manus incideret, vt experti iugum inhumanum suaue repererent iugum Diuinum. *Seruiunt (Ierolymitanisè.) Sefac Regi Egypti.*

Egypti, ut sciant distantiam seruitutis mea, & seruitutis regni terrarum.

Quid inopia victus, & rerum vitæ necessariorum, mancipia aliquando ad priores retrahit dominos, quos ob nimiam seueritatem fugerant. Filij Israel, qui toties iam clamoribus suis cælum ac Deum pulsaerant, contra tyrannidem Pharaonis & exactorum, famèles in deserto, ac destituti cibo, Ægyptum etiam repetere meditantur, nisi cibo de cælo præstito, & victualibus copiose subministratis detinerentur.

Amor patriæ omnibus naturalis, filios vestros quasi manu tandem reducet, aut potius cathenis tenacibus domum retrahet. *Amor patria ratione valentior omni:* dicit quidam, &

Nescio quana natale solum dulcedine cunctos

** Ducit, & immemores * non sinit esse sui.*

Ouid. lib. 1.

de Ponto E-

leg. 4.

** al. Detinet*

imme.

** al. nec*

Vide Chil.

Erasm.

Eccl. 29.

Etiam si extra patriam omnia inuenias bona, suspirabis tamen eam, & semper videtur tenue salinum, siccaque mensa domi melior, quam dubia apud externum. Quoties foris inter conuiuia & symposia lata auditur hæc vox *Patria sat plurius faciendus quam hospiti mensa.* Ecclesiasticus ait, *Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epula splendida in peregre sine domicilio.*

Casula, tuguria, prætexta araneis, cereuisiæ crasse, carbonum cespitumque fuligines, nigrique lares patrij magis nos trahunt, quam foris palatia aurata, faccarum Candia, vinum Canariæ, odoramenta matronarum, ac omnis suauolentia, quam ex cinnamomi ignibus ac Arabicis incensis elicere possis. Dicimus omnes verba Teucris, *Patria est ubicunq, est bene.* Quantum igitur desiderabit reditum cui foris est petus? Quid amœnius Roma? cum tamen ibi essem, & bene exceptus & honoratus supra meritum, benignitate scriptorum omnium Cæsaris Cardinalis Baronij, & speciatim summi nostri Põtificis, Pauli Quinti (cui Deus semper benedicat) peractis tamē negotiis, domum versus grandiu gradus, versus partes nostras

feriores, & vere inferiores & humiliatas ciuilibus bellis.

Quid. 1. de
Ponto Eleg.

4.

*Quid melius Roma: Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa Barbarus urbe fugit.*

Quæ columba, quis taurus, quis leo, tam sui ortus, cui cum melius sit in cauea ac stabulo, non magis redire hic ad prata, ille ad syluas, & antra; illa in deferta. Verum (inquit aliquis) hæc bruta sunt bestia. Barbari & effœminati ita agunt; Philosophi, & quibus feruet sanguis in pectore, longe aliter sunt animati.

*Nam omne solum forti patria est, ut piscibus aqua,
Patria est ubicunq; virtus se acm elegerit.*

Cicero lib. 4. Ep. fam. Ep. ad Marcellin.) *Sapientia est carere patria.*

2. de lib. 1.

3. de lib. 1.

4. de lib. 1.

Cic. 5. Tus.
tribuit So-
crati, Laer-
tius, ni fal-
lor Dioge-
sti.

Concedo equidem, quando patria deseritur ad quærendas seruandasque virtutes, discendas scientias, aut veritatem. Nihilominus tamen si quis ad animi ipsorum centrum fundumque pertingeret, deprehenderet vtique, quod suam locis omnibus præferant patriam. Dicat Diogenes, dicat Socrates quoties placet, rogatus cuius sit, se mundanum esse, ac mundi ciuem: inuenietur tamen magis patriæ suæ quam vlli loco affectus; nisi forte causa sub sit cur patriam oderit, vt ingratitude, aut alia vitia, &c. aut cur alium locum magis diligat. Quis vnquam durior, prudentior, ac minus effœminatus Vlyffe. Ithacæ tamen regionem sterilem, lapidosam, quæ nec leporem aleret semper suspirabat.

Quid. lib. 1. de Ponto, Eleg. 4.) *Non dubia est*

Ithaci prudentia: sed tamen optat

Fumum de patriis posse videre focus.

Quid? etiam Iacob voluit reuerti in patriam, cum quatuordecim annis pro duabus vxoribus seruisset, in Mesopotamia, multo tempore post coniugium; nam exiens magnum trahebat agmen puerorum, & domesticorum, quamuis videri potuisset naturam istius loci induisse, ductis ibi vxoribus, procreatis liberis, aucta re: maxime cum moraretur apud auun-

auunculum, ac dupliciter socerum, (& quod mirabilius) meriens in Ægypto, quo ipsum fames deportauerat, ossa sua inde in patrum terram iussit transferri, pia credo deuotione, sed nihilominus communi etiam in patriam naturalique affectu. *Et si enim sapientis est carere patria*, inquit Cicero, *Duri, non desiderare: et si Repub. non posse frui stultum est nolle priuata.*

Cic. lib. 4.
epp. Ep. ad
Marcellū.

Sed esto. Concedatur (videte quam sum liberalis) effeminatos esse qui patriam respectant, quam Philosophi negligunt (quamuis reuera falsum sit, quod eam nec curent nec desiderent) filij nostri, ad eone omnes sunt masculi, ad eone Philosophi, ut sperandum non sit, patriæ desiderio sapientiores ac tractabiliore domum redituros? Quis vigor masculus, quæ philosophia (obsecro) in puero, qui ad boni patris arbitriū, nec labores domesticos sustinet, qui fructum ventris sui nunquam opprimit? Quod obsecro sapientiæ studiū in tali, qualis noster est Prodigus, qui omnis oblitus humanitatis, & affectus naturalis, in vitæ auctorem, in nutricium, in tutorem suum? Quod philosophi extra patriam facile agunt, aut ex rerum præclare gestarum conscientia est, aut quia inquisitio veritatis ac virtutis, ipsos consoletur, vel quod scientia ac probitas ipsos externis commendat, abundeque suppeditet media quibus commodius quam in patria vitam tolerant. Vestri vero filij, qui sic peregre abeunt, nihil nisi crucem morsumque conscientiae circumferunt, quod apud parentes male se gesserint, quod peregre profecti sint non ad adipiscendas scientias, aut virtutes, quas nec discebant in patria; sed ad quærendam libertatem. Imperiti autem & male instituti, nec amicos facile inueniunt, nec subsidia. *Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam, dicit Prov. 13.* Salomon.

Atque ideo sperandus magis ipsorum reditus, & correctio, sicut nostri Prodigus, ex conscientiae remorsu, ex amicorum defectu, ex rerum omnium inopia, mansuri ex inde commodiores, & instituti paratique ad omnia.

Vetc.

Veteres amicicias, colloquia, vicinias, confabulationes, quæ in patria sua habuerunt, quam dulcia fuerint gustabunt melius, cum aut nullos aut paucos habuerint socios, & eos vtrique magna cum diffidentia: quæ facile tantum illis excitabunt tædium: nihil nisi de patria cogitent. Domestica videntur, sordida in patria amicorum turba, nausæatur obuia mercetibus & prompta oblataque omnia; sed cum amicorum grege priuari cœperimus, cum extra patriam nullus, aut vix vllus inuenitur fidelis, etiam multo labore quæsitus, cum nunquam magis futurus esset vsui, tum demum piget desertionis, tum nihil nisi reditus suspiratur, somniatur.

Cicero Orat. ad Quirites post reditum.] *Amicitia, consuetudines, vicinitates, clientela, & quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo.*

Ouid. lib. I. de Ponto Eleg. 4.

*Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
Talibus ut leuius sit caruisse malum.*

Videre igitur vtrum male suadeam parentibus, ut immorigeros, refractarios, irreuerentes, impios ad externas regiones dimittant, mittantque ad scholas quasi virgæsq; ferreas: ut sic compulsi repetere patriam, parentes, & amicos, redeant tandem subacti, flexibiles, ductiles, nec amplius fugam minentur.

Seneca in Prouerb.] *Cautio est in reliquum, lapsus anterior.* Exemplum petatur à nostro Prodigio, in hoc theatro: moneant qui tempestates experti sunt, stantes adhuc, & soluturos ex portu, ne in eisdem vandas se facile præcipitent.

— *foelix quicumq; dolore*

Alterius, discas posse carere tuo.

Dicam hic in transitu, non inconsultum etiam fore, quibusdam coniugatis, quibus coniux parum commoda ac morosa, (idem etiam in marito habet locum) oportune se subtrahere, vel occasionem aliquam quærere ut coniux impotior ac morosior ad negotia proficiscatur, vel visitatum amicos peregre habitantes; ut alter interea voluptatibus & comodi-

moderatibus maritalibus priuatus, orbatus confor-
tis presentia quam f. stidiebat, redoptare incipiat.
Virgil. 4. Æneid. vox Didonis ad Æneam.

Spero equidem mediis (si quid prænumina possint)

Supplicia hausurum scopulis; & non me Diuo

Sape vocaturum.

Diuturnior absentia postmodum noua gratia
presentiam condiet, & conforis morosior, no-
uis studebit delinire blandimentis coniugis fasti-
dum.

Quis dubitet etiam inter bonos inueniri, qui quos
patientes & viuētes, nec videre, nec tolerare possunt;
absentes & mortuos summopere flagitant; ref. diūt
pene terram vnguibus, ac monumenta pertundunt,
vt eos ab inferis si possent resuscitent. Clamant pene
cum Christo, *Lazare veni foras*, mōtib. aureis vitam
ipforum redempturi.

IOAN. II.

Horatius lib. 3. carminum Ode 24.] *Virtutem inco-
lumem odimus: sublatam ex oculis quarimus inuidi. A
busto quiescit inuidia scilicet.*

Plaut. in capt.

Tum denique homines nostra intelligimus bona.

Cum qua in potestate habuimus ea amisimus:

Sophocles in Aiace.] *Οἱ δὲ κατὰ γνώμῃσι τ' ἀγαθὸν
ἔχουσιν ἔχουσιν πρὸς τὴν ἐπιβάνη, id est, Mali bonū
in manibus habentes, illud ignorant: ubi amisserunt, tum
cognoscunt.*

Paterculus.] *Presentia, inuidia; præterita ueneratione
persequimur.*

Quis ignorat quanto odio Prophetæ semper vi-
xerint, maxime illi qui Regum & gentium vlceia fer-
ro & cauteriis adurebant. Lapidati sunt secti sunt,
&c.

Jerem. 2.] *Deuorauit gladius vester Prophetas vestros, Matth. 23.*

quasi leo vastator generatio vestra. Hierusalem, Hierusa. Luca 1.

lem, qua occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi

sunt. Hierusalem quasi macellū Prophetarum omnium.

Ierusalem quasi amphitheatrum, ubi boni feris spe-

ctaculo obiciebantur. Quem Prophetarum non sunt

persecuti

Actor. 7. *persecuti patres vestri.* Dicebat S. Stephanus. *Non capite*
Luce 13. *Prophetam perire extra Ierusalem,* dicebat Dominus.
Horat. Ac reuera nemo verba, nemo vultum eorum tole-
Ouid. bat, *Virtutem incolamem odimus; pascitur in res*
liuor.

Sed post mortem (Deus bone) quam desiderat
 quam honorati? Parricidarum filij eis mausole-
 struxerunt, & monumenta magnificentissima. *Pro*
Lucæ 11. *phetas* (inquit Christus) *Patres vestri occiderunt, vos au-*
tem adificatis eorum sepulchra. Ac parentes vestros ca-
 lumniamini, quasi minus futuri sanguinarij si illo
 vixissetis tempore. *Ornatis monumenta iustorum, &*
Matth. 23. *dicitis, si fuissetis in diebus patrum nostrorum non*
essemus socij eorum. Hoc Seruator noster sibi euen-
 turam indicauit, quod probis omnibus: inqui-
 rendum se nimirum, vbi foret ablati; *Ego vado*
& quæretis me. quasi dicat; modo grauis sum etiam
 ad videndum, præsentia mea vobis onerosa est, vt
 Sol vesperilionibus aut lippientibus, & rosarum ac
 amarici odor porcis; veniet tamen dies quo me desi-
 deretis. Quis ignorat Ciceronem pro tempore adeo
 fuisse inuisum, vt vrbe ea exularet quam sua vigilantia
 ac sudore, contra Catilinæ coniurationem seruauit.

Quintil. lib. *Seruata patria poenam passus exilium.* dicit Quinti-
11. Inst. c. 1. lianus. Sed quis ignorat quomodo idem à bonis om-
 nibus fuerit repetitus? Ipse de se iactare ausus est, præ-
 sente omni Romana nobilitate (opinor quod verè)

Cic. orat. ad me in patriam ter suis decretis Italia cuncta renouantem.
Quirites. ac eodem anno quo eiectus est, octo Tribus apud Se-
post reditū. natum pro reditu eius sollicitarunt: vnde & alias in
Idem orat. pleno gloriatur senatu, *non solum reducti sumus in pa-*
in Senatu *triam, sicut nonnulli clarissimi viri; sed equis insignium,*
post reditū. *& curru aurato, reportati sumus.*

Salust. orat. Equos forte dicere vult albos, qualibus in triūphis
inuect. in vtebantur. Salustius æmulus eius obiicit ipsi, dictum
Cic. nimis fastuosum. *Italia exulam humeris suis reportauit.*
 Ipsemet Pomponio Attico amicissimo sibi
 scribens, de triumphali suo in vrbem reditu di-
 cit.

Cic. lib. ad Atticum 4. Ep. 1.) *Ad urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, prater eos inimicos, quibus idipsum non liceret aut dissimulare, aut negare.*

Et nihilominus (videre quid presentia possit) idem amico suo conqueritur versam esse sortem, adeo ut qui absentem tutati fuerant, presenti iam succenserent, ac inviderent.

Cicero lib. 4. Ep. ad Attic. Ep. 1.) *Iam quidem qui nos absentes, defenderunt, incipiunt presentibus occulte insidiat aperte invidere.*

Magnus Sixtus Quintus, ex Cordigero factus Papa, cum ego essem iuuenis, quid non effecit? tamen, post renouatam Romam, purgatam latronibus Italianam, exercitam iustitiam, etiam in suos, non ante suum odium effugit, quam vitam, & quis nouit quomodo sit mortuus. Ac post mortem eius quæ non dicta, quæ non seminata. Scio tamen & ipse in vrbe audiui, quamprimum Romæ annonæ crescunt pretia, plebeculam Romanam semper eius reminisci: ipsum gemit, ipsum inclamat, Ah Sixto Quinto! ah Sixto Quinto! quasi desiderans uiuentem, ac necessitates eorum, ut facere consueuerat, curantem. Aristides cognominatus iustus, quod ab omni alienissimus esset iniustitia, inuisus fuit Themistocli; ac tandem factiose duodecim annorum exilio Athenis ablegatus.

Quid accidit? Xerxe Persarum Rege cum copiis in patriam ipsius irruente, absentem statim repetuerunt, postularunt presentiam, reuocarunt ab exilio. Camillus magna ingratitude Roma deportatus in exilium priuatus agebat Ardrenis; sed Roma a Brenno & Gallis capta, obsessio Capitolio statim desideratus, statim inquisitus, reductus & dictatura honoratus est. Quid? nonne & ipsi tyranni, succedentibus prioribus, post mortem aliquando redoptantur. Testimonio Pausanias qui terram versans Antigonum (aiebat) resodit. Odiosissimus qui unquam in Belgio vixit, quomodo post mortem suam a nonnullis desideratur: quod sane

Plutarch. in Camillo.

honeste.

honestius est, quam nunquam fuisse læsum. Cicero orat pro domo sua. *Ad immortalitatem gloria plus adfert, desideratum esse à suis ciuibus, quam omnino nunquam esse violatum.* Gloriosius fuit Rutilio Gemino factio- nibus fuisse proscriptū, ac cum ab eodem la reuocaretur, recusasse & respondisse quod re- Seneca, *Malo ut patria exilij mei erubescat, quam redire mcerent.*

Seneca lib.

6. de benef.

Ouid. de i-

pso lib. 1. de

Ponto Eleg.

4

Psal. 101.

Nos magnis illis viris comparati umbra sumus & locuste; non semel tamen repeti ac desiderari nos cō- tigit, propter candorem, & apertum in concionibus animum, ac dicendi quæ conscientia dicitur libertatē, constantiam in redarguendis malis, vbi, cum præsen- tes essemus, æmulatione nō carebamus. Et credo dū viuimus scripta quædam nostra dicta aut facta displicent, quæ cum viuere desierimus nobiscum non me- diocriter appetentur. *Scribantur hæc in generatione al- tera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Sed hæc de me satis, forte etiam nimium. Concludo igitur bonum esse magnis ac illustribus viris subtrahere se aliquantulum nauseantibus, fastidientibus, ac in- uidis, laribulo quodam voluntario, vt Sol per eclip- sin, aut nebulam, ac naturæ ordinem, toties se ab- dens noctibus; vt familiaritas, mater contemptus, per absentiam istam exclusa, non tantum contemptum ac fastidium abigat, sed appetitum etiam & deside- rium maius accendat.

III.

Prodigi patrem & herum, Dominos fuisse admodum diuersos, in famulos, & patrem Prodigii fuisse liberalissimum.

SEd notate hic in transitu, ex Prodigii verbis, quan- tum duo isti Heri à se mutuo differant, in seruo- rum ac familiæ regimine. Prodigii pater Herus erat optimus, liberalissimus, humanissimus, æquissimus, dignus cui seruiretur; ac probatissimos, vt opinor, habuit famulos. Herus vero ipsius, Arabs reuera, ac tyrannus, qui seruo suo in agro nec porcorum dabat filiquas

aliquas. Herus certe dignus cui nemo vnquam famularetur, qui desereretur ab omnibus, etiam ab hoc Prodigio & ab omnibus (quod & fiet Deo dante) sic equidem opto alius equidem esse non debet qui in hac parabola repræsentat Diabolum.

Pater ipse (vt verba textus citata insinuât) quatuor dotatus erat virtutibus: humanitate, scilicet, liberalitate, iustitia, & discretione.

* 1. *Humanitate.* Quia pluribus nutrebat homines; filios, mancipia, mercenarios, non inutiles ad solam voluptatem bestias, ex quibus aut nihil aut parum sit commodi; vt canes, equos, simias, cercophitecos, &c. vt multi faciunt: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Quanti mercenarij (inquit) non canes, equi, simiæ, &c. Sed suadere me dicitis vtrunque. Alioquin enim vnum aperte affirmare, altero aperte non excluso, concludi non posse, quod pater ipse has ad voluptatem bestias non aluerit. Respondeo hoc alibi habere locum, hic minime. Infirmitur enim oblique & recte satis, (ita tamen vt oculus acutior, facilis auris, facile id sentiat) Prodigio verbis nihil istius generis à patre suo nutritum, quod duplo plus haberet impendij quam fructus. Suas enim voluit quam maxime exaggerare miseras; & proculdubio miserabilius multo fuisset patrem in ædibus, durante fame publica, canes alere liberaliter, cum interim filius in agro extingueretur esurie: Vnde si istius generis bestias fouisset domi patet, proculdubio in prima hoc collocasset lamenti sui capite, tanquam fortius, & moturum magis, dicens: *Quot canes venatici, villatici, pastorales, pecuarij &c. Quot equi admissarij, hippitati, desultorij &c. Quot simia saltatricula, imitatricula, adulteratricula &c. in domo patris mei, abundant panibus, ego autem &c.*

Ah rem indignam fame pereo! Dubitatis sic fuisse dicturum, si ita res habuisset. Nimis ingeniosa est ad lamentum necessitas. Non habuit igitur ista, vt falsi nominis diues, qui forte propter hæc nihil subuenit Lazaro, quod canum sumptus vix cum difficultate

præstaret. Quamuis autem non omnem reprehendo venationem, bona enim est quam appellamus *salusam*, quia hæc conformis satis Dei decreto, victu suo in sudore vescitur. Nec iniusta est: non enim capituliena, sed solum communia, & sylvas in bonum publicum noxiis purgat bestiis, & humanæ vitæ infelix honestum etiam contra otia exercitium, ac instituit quasi ad bellum (vt alias copiose satis Leodij in S. Petri Ecclesia in festo S. Huberti patroni venatorum tractauit) cõmendare eam tamen non possum, quando Lazaro & pauperibus elemosynas præripit, quod mirum canes panem egentium, & saepe ipsos heros vt Actæonem deuorant. Sententia summi domini est: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus.* Nec ego hoc probare possum, cum pauperes, coloni, & villici, nobilium suorum grauantur canibus, quasi assignatis cuique ad Chirographum suis, quos vt milites nutriant, canibus vnde non raro accidunt, vt inopes coloni ipsorum, pauciores ad ianuam deferant elemosynas, ac pueris suis minus benefaciant. *Non est bonum, iterum dico, sumere panem filiorum & dare canibus.*

Notandum igitur, quod etsi Prodigus dixisset canibus omnia abunde à patre suppeditari, adiecisset in domo patris mei. Imo, aluntur largiter, sed tamen in domo patris mei; non in alienis pauperum ædibus, vt fere fit, hoc tempore.

Hæc quæso emendentur. Consulo (non enim habeo quod imperem) vt magni illi venatores, ac canum nutritij Sabaudia quendã Ducem, nomine *Amadeum, ama Deum*, vel potius *amatum Deo* imitari studeant: quem authores non contemnendi aiunt rogatum quodam tempore à legatis, quos liberaliter tractauerat, vt venaticos suos canes ipsis exhiberet; post multas tergiuersationes ac subterfugia, tandem eorum victus instatia, cubiculũ aperuit, omnis generis mendicis plenum, qui quotidie ipsius alebantur elemosinis, dixitque: *Hi sunt canes mei, quos alo quotidie, quibus & me celestem gloriam spero venaturum.* O præclarum respon-

1603.3. No-
uembr.

Munsterus
lib. 2. Cos-
mog. & li-
bellus galli-
cus Apopht.
nostri temp.

responsum! ô bellam venationem! non arbitror multum hinc abfuisse Prodigii nostri parentem, multos potius alentem mercenarios, negotiis suis occupatos, quam multos canes & equos ad voluptatem. Ipsius canes, ipsius aues prædatrices, ipsius equi bellici, ad calum inuadendum, pauperes erant. *In prece pauperis spem reponens.* Et hoc vnum.

* 2. *Liberalitate.* Quæ maxime in duobus eluxit. *D. Ambros. lib. 2. de Virg. sub initium.* Primo in victualium abundantia, abundant (inquit si *Virg. sub initium.* *Græcus dicit* *ἄριστος δὲ σίτην*, superfluunt. Secundo in varietate, *Panibus*, inquit, omnis generis. *Pane cibario & familiari qui ad cibum seruis datur, sordidus, nec delicatus: pane aceroso, & gregario*, qualis sæpe canibus obiicitur; *pane similagineo*, qualis nobilium, panibus omnis formæ, omnis generis, *pane herulitio, hordeaceo, frumentario*, panibus diuersimode conditis, *pane butyrato, pane fermentato, pane azymo, pane crocato.* Abundant denique panibus, manducantes qualem & quantum volunt. *Vide Nonium in voce cibarium, & Isid. 20. c. 2. Cibarij panis meminit Cor. Celsus lib. 2.*

O liberalem Dominum! ô vere dignum cui fideliter seruiatur, & (vt quod res est dicam) & en verum medium, quo omnis in officio contineatur familia. Optime hoc intellexit Cato maior. Rogatus enim quid in re familiari administranda esset omnium primum: *bene pascere*, inquit: quid secundum, *satis bene pascere*: *Cic. lib. 2.* quid tertium, *bene vestire*: quid quartum, *arare*. Interrogans autem bellus iste questionarius, quid censeret de vsuris; noua interrogatione ipsi satisfecit, *Quid hominem*, inquit, *occidere*: ostendere volens vsuram & homicidium paris esse sceleris. Sed ad propositum nostrum, bene pascere igitur, & bene vestire suos, cardines sunt bonæ œconomix iuxta prudentis illius dictum. Alius quidam, nec forte minus recte, inquit mancipia, nec adamantinis quidem fortius ligari cætenis, ne diffugiant, ab opere, & à dominis, quam si naso ad mensam bene instructam alligentur. Bonæ culinæ inquit vincula, & nidor mensæ, dulcia & grata famulis vincula sunt, ac talia quidem, vt quo magis laxes, fortius stringant. Audiamus si placet ipsa boni

istius Consiliarij verba. Plautus in Menæchmis Act.
1. Scen. 1.

*Quem tu asseruare recte, ne aufugiat, voles,
Esca atq; potione vinciri debet.*

Apud mensam plenam homini rostrum deligui.

Dum tu illi, quod edat, & quod potet, prabeas,

Arbitratu suo assatim quotidie,

Nunquam Ædepoi fugiet, tamen si capital fecerit,

Facile asseruabis dum illo vinclo vincies:

Ita est, hac nimis lenta vincla sunt escaria;

Quam magis extendas, tanto adstringunt artius.

Non claudes os boui irituranti.

Serui, seruæ, milites, parasiti, ancillæ, vxores, filij, religiosi, hærescunt fortius, quam ex rupe Prometheus, & compediti in nauibus remiges: nec deserunt tectum, agrum, seruitia, officium boni pastus obditi vinculis. Italiae Bubali iniecto naribus tenentur æneo circulo, homines liberali sustentatione. Qui melius soluit, ac optime tractat milites, optime eos continet, ne seditiones, transfugia, ac defectiones moliantur. Docuit eheu satis experientia in Belgio. Qui vxorem in necessitate destituit, ab eadem etiam se deserui videt, & nescio ex cuius etiam securæ semper hærentem latere, largoque attractam victu, quasi validissimis catenis, nec latum vnguem ab eo discedere. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meus, lanam meam & linum meum, oleum meum, & portum meum.* Dicit Oieas de impudica muliere: que paulo post iterum dicti nostri monstrans fidem, eo se recipit vbi habebatur melius. *Vadam & reuertar ad virum meum priorem; quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc.*

Ose 2.

Iob.

Monasteria bene constituta, quæ liberaliter suos sustentant religiosos non quidem æqualiter omnes, sed vnum quemque pro indigentia, vt olim in Apostolorum collegio, vbi dabatur prout unicuique opus erat, paucos ex suis vident Apostatas. Qui vero hæc præpostere negligunt, nimis certe multos: vbi vnus esurit, alius ebrius est, vbi alij tanquam domini splendent in vestibus

vestibus, alij tanquam attonsi mendici, laceri, omni panno, omni colore obtecti. Quid mirum si tali loco teneri nō possunt particulares, cum sine istis vinculis, nec exercitus, nec populi integri teneantur? nec vlla ratione citius, quam istorum neglectu dilabatur. Populus Israel exercitus sexies centum mille hominum, exceptis, foeminis, pueris, senibus, qui tantopere libertatem suam desiderauerant, in deserto desertum se videns à panibus, à semita, ac recordatus ollarum Ægypti, pernas, pepones, allium, quibus ventrem aliquando infarferant; reuerti voluerunt in Ægyptum.

Tanummodo oculus iacob in terram frumenti, vini, & Deut. 33.

olei. Integri etiam exercitus, cincti ac clausi fame suam vendunt libertatem; ac miraris si fugitiuum mancipium, libens illuc redeat, vbi bene pascebatur, nisi in meliorem culinam incidit. Bestiis alioquin minus sapiet. Asini ipsi copiosa non deserent præsepia: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepium domini sui.

Isaia.

Apes, inquit Plinius, inopia cibi desperant, moriuntur, aut effugiunt. Plin. lib. II. cap. 16.

Horrea formica tendunt ad inania nunquam. Ouid. lib. I. Trist.

Externos canes panis particula quo placet allicies, sequitur ouicula virentes ramusculos, bestię, serui, ancillæ, æqualiter de omnibus dixeris, prædam sequitur Seneca.

turba ista non hominem: semper frequens erit seruitiis familia, in qua mercenarij abundant panibus, & vbi domestici vestiti sunt duplicibus. Contra vero videbitus cito solitudinem in ædibus, vbi quisque seruulus cum nostro dicit Prodigio, ego autem hic fame pereo. Et hoc esse opinor quod populos in Regum fide continet; cōtra vero guttur occludere, panem de manibus nimis exactiōibus extorquere, miseros ad paleas fœuari equos, aut ad terram vt famelicos lupos, aut ad filiquas, vt hūc nostrum Prodigium redigere, Regiam opinor ad tumultus & seditiones esse viam. Et hoc secundum.

* 3 A iustitia non minus: illud panibus; diuersitas panum, domini, domesticorum, canum, filigineus, hor-

hordeaceus, alique prænominati, indicant quod omnes simul & singuli panibus abundarint: non tamen omnes eodem pane vixerint. Oeconomia enim ibi adeo recte fuit instituta, vt quilibet suos haberet panes, aut atrum, aut album, iuxta officij sui dignitatem & gradus sui ordinem: nobiles & serui honorarij aliter tractabuntur pane, alio cursores, equifones, subulci, bubulci, alio culinarij, alio archimagiri, alio extreme alio forte etiam robustiores, & diligentiores. Quid nisi omnes interim abundabant. Bonum seruauit ordinem ac iustitiam. Cur enim opilio, famulis equiparetur honorariis? cur compeditum mancipium, & damnatus catenatusque ad triremes, eodem cum Nauarcho tractetur bis cocto? *Capitalis oratio ad aequationem bonorum pertinens: qua peste, qua potest esse maior?*

*Cice lib. 2.
Offic.*

Iustitia est dare cuique suum; iuxta dignitatem, iuxta meritum. *Similes*, vt est in proverbio, *habent labra lactucas*. Iniquum est vt bellicus equus asini mandat carduos, vt cursor ac veredarius non plus accipiat auenæ quam equus stabularius, qui nusquam nisi a quatum educitur. Et vt adiciam verbum quod nos concernit, quid concionator, cui caput studijs, & fauces clamore rumpuntur, vt in ampla vastaque Ecclesia ab omni audiatur populo, qui in cubiculo suo obrigescit in libris, ac rursus calore sudoreque diffundit qui nec cibum aut potum audet intempestiue attingere, ne spiritum ad studia grauet, stomachum ad verba; vt ille nihil amplius habeat quam frater aliquis laicus, cui caput nulla re alia occupatur nisi dicendis *Pater noster*? & ipsius ministerijs iniquum est. Aliud exigit iustitia, & ratio. Aliter fecerunt Apostoli, datur prout unicuique opus erat, non æquale singulis, aliis plus, aliis minus, aliis hoc, aliis illud. S. Paulus Apostolus aliter egit, qui regulam hanc suo scripsit Timotheo. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum & frequentes infirmitates tuas.*

Et versiculi istius communis: probo iustitiam, non mensuram & harmoniam.

Da vinum docto, laico de flumine cocto.

Qui parce seminat, parce & metet,, inquit Apostolus. Quid? hunc respectum inter bestias habemus, negligemus inter homines? Deus habet multas mansiones in sua domo, vt post hanc vitam diuersis meritis, diuersa rependat præmia; & homines inter labores horum & illorum non distinguant? Magna hæc foret iniustitia, & tamen sæpe admittitur, quod peius est. Et hoc tertium.

* 4 *Discretio* Deus bone quanta fuit? Abundant quidem, sed panibus solum. Quid? panem igitur solum manducabant? semper panem? Ergone herus iste tam parcus vt Hispani nonnulli, quorum superbia multos conducit famulos, auaritia vero eos male tractat? Vnde & Cleonardus in Epistolis suis Raphanophagous illos appellauit? Pistorne fuit, aut filius pistoris, qui suis nihil præter panes præstabat; vt quondam Augustus Cæsar suo Virgilio, & reliquis seruis, quibus nihil vnquam subministrabat præter panes dietim, duplicans numerum ac triplicans, secundum quod crescebant seruitia: vnde dicere ausus ipsi Augustus, se dubitare num ex pistorio esset genere, vt refert in vita ipsius Donatus. Semper panes? *Non in solo pane viuit homo* dicetis mihi. Non sufficit hoc homini, *aqua panis, vita canis*. Verisimile nihil illis præter panes datum: non enim tacuisset noster Prodigus, volens vndeunque suam exaggerare miseriam, si quid vltra accepissent.

Quod si pane solum vixerint, non mirum si abundauerint: ille enim tanquam modici pretij, dari potuit largiter, maxime cum illis pro integra esset refectione, nec ante, nec post, quicquam aliud acciperent, & parum etiam illis facile satis & nimium esset. Filij enim Israel ipsum, quod quotidie comedebant, manna fastidiebant; cum tamen & gratioris esset saporis, & angelorum cibus. *Panem Angelorum manducauit homo*. *Nihil nisi Man vident oculi nostri: nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo*.

Semper capones, semper capones, largi, crassique

*Tib. Cl. Do
natus in
vita P. Vir-
giliij.*

dicunt ventres, eosque auersantur. Sed respondeo Primo, per panem in scripturis victum & omnia ad vitam necessaria significari, vt cum à Deo panem petimus quotidianum. Secundo, per panem aliquando sobriam ac modestam significari refectionem, vt cum dicitur Christus apud Pharisaum buendam, sabbatho manducasse panem: nihil enim ibi significatur aliud, nisi sobrie, moderate, & quod naturæ sar erant pransum: cum nec ipse conuiuia esset qui sumeret, nec alter hospes qui daret nimium.

Tertio, per panem intelligi aliquando non ista que absolute ad vitam seruandam homini sunt necessaria, sed ea etiam quæ requiruntur ad cuiusque statum: vt quando Reges, & mendicantes, pari passu à Deo panem nostrum quotidianum oramus: Si enim tum simpliciter necessaria postulamus, vt foueamus vitam, nihil rex amplius petet quam mendicus: quia similiter homo est, & naturæ ipsius ea quæ mendicanti aut Cordigero sufficiunt, & mendicus paria regibus petet. Sed qui putet Regem, panem quotidianum orantem, alia postulare, quænam illa sunt? Ipse statui suo postulat necessaria. Rex regia, tanquam persona publica, & pluribus quam mendicantes, aut Cordigero indigens, quæ ad magnificentiam spectant, quæ ad bellum, quæ ad pacem regni, &c. Prodigus igitur verbo, panibus, iuxta secundam & tertiam interpretationem, dicere voluit mercenarios omnes apud patrem suum abunde liberaliterque haberi, iuxta status sui indigentiam: qualia scilicet mercenariis ac mechanicis debentur, victus qualitate, mercenariorum qualitati temperata. Habuerunt abunde, non tamen nimium delicate. Videte discretionem, ex temperantia & sobrietate. Ne videretur nimium tenax & parcus esse, dedit cuique conuenientem victum, ac abundantem: abundat quidem, sed panibus tantum, non cupediis; quæ necessitas, non quæ voluptas peteret. Idem etiam pater & Dominus formam dat, quomodo ministri liberaliter, non deliciose habendi sint, nisi eos rebelles & recalcitrantes sentire velimus. Item naturam hominis paucis

paucis esse contentam, victuque parabili, si seruiatur necessitati, non voluptati cui nihil satis est.

D. Bernard.

*Querit ut expoliet, venatibus, alite pisce,
Gustus humum: gustus aera: gustus aquas.*

Sed in eo consistit discretio.

Ecclesiast. 33.] *Cibaria & virga, & onus asino, panis, & disciplina, & opus seruo.*

Proverb. 29.] *Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Lucretius: Crassatus est dilectus meus & recalcitrauit.

Bonus cibus seruis, sed ille crassius. *Abundans, sed paucis.* Non pauit suos pater iste nisi familiari & domestico cibo; nullibi defuturo: docens quantum natura exigit, quam exigui pretij, gulæ nihil esse nimium.

LUCANIUS.

Exquisitorum terra pelagoq; ciborum ambitiosa (gula est) paruo culti natura contenta.

Adferatur tantum fames, quam acuit sobrietas, labor, occupatio, quilibet cibus, quilibet potus, rudibus illis & crassis hominibus facile erit lautus, imo & spidiore exquisitis epulis, sine sobrietate, sine præuio labore. Darius Rex fugiens inimicos, post suorum stragem, vehementer lassus, nihil nisi obuiam biberat aquam, eamque forte turbidam & fœtidam, dicebat tamè nihil se vnquam bibisse gratius. Vnde hoc? quia nimirum aridus ac sitibundus biberat, qui antea sitire non consueuerat. Prolomeus Rex per Ægyptum iter faciens, cum forte aberrasset à suis, ac in humili tugurio apud pauperem quendam, nescio quem atrum accibarium panem pransisset, idem plane iudicabat. Idem & magnus Rex Franciscus primus, forte à suis dilapsus, & in casula quadam pauperis villici patris apugno dicere potuit: Famem aut expectare oportet, aut querere, ut cibus sapiat. Docuit id Socrates: qui rogatus quid ita ad sudorem vsque obambularer, respondit ut prandium condiret, cœnaretque melius. Et Alexander qui à Regina (ni fallor) Carix, aut saltem a Principe aliqua fœmina versatissimis do-

natus archimagiris, eos remisit, dicens sibi isthoc hominum genere nihil esse opus, se cibum & potum, cum iucunde prandere veller, condire cursu, sudore, ac venationis laboribus. Idem & cocus perbelles Dionisio Tyranno suggestit: cum enim Tyrannus in conuiuio iusculum quoddam, tanquam inspidum minus conditum arguisset, quod tamen Lacedaemoniis, qui simul aderant, perplacuerat: respondit culinæ præfectus, nihil id sibi videri mirum, deesse enim pupamento suum condimentum. Quodnam inquit Tyrannus? *Labor ait in venatu, sudor, cursus ab Eurota fames, sitis, his enim rebus Lacedaemoniorum epula conduntur.*

Nonne videmus omnia omnino, & ipsas quidem bestias, ad victum nihil nisi communia & obuiam petere, eisque nõ ultra necessitatem vii. Quid? Persa qui lauti delicatiqu; habentur, nihil pani addunt, nisi quod ex hortis suis decerpserint, inquit Xenophon.

Nostri etiam horti, frugiferaeque arbores, habent vnde panem obsonemus, si viuamus ad necessitatem; non torquenda erunt maria, non flumina, vt pisces reddant; non aer vt aues, non sylua vt feras. Equidem sanctiores, saniores, sapientiores qui iis victitant, quam gastrimergi, ac vtres vinarij, vino ac omnibus deliciis oppleti. Conferte mihi crassos illos obesosque, cum macrioribus & videbitis eos qui voluptates quærunt, noctu diuque, nunquam eas inuenire; qui non quærunt eisdem frui. Sobrius mensa grata est; propter esuriam; gratus lectus, propter dulcem quem capiunt somnum, sine cruditatibus, sine indigestione; incumbunt læti, læti surgunt, alacres spiritu, valentes corpore: comessatores, quibus palatum adeo eruditum, nec mensa fruuntur iucunda propter nauseam, non strato propter vigiliam, distento scilicet ventre, grauati crapula; surgere non possunt grauato corpore, grauato corde, non minus quam si rota nocte plumbo turgerent infuso. Hoc Timotheus dicere voluit, vir princeps Athenis: qui iucunde apud Platonem cœnatus, postridie ipsi occurrens, ait, Conuiuia vestra

vestra non tantum cum sumuntur, sed & postridie
grata sunt; cum animus officio suo fungi non possit
pridie corpore cibo vinoque infarto. *Pinguis venter,
non gignit sensum tenuem.*

O sapientem, ac vere sapientem Prodigium nostri
patrem! qui famulos suos panibus alebat familiariter,
ne eos experiretur refractarios, ne commodus ipsis
vnam victus deesset, ut eos bene contineret, ut eos
semper haberet sapientes, sanctos, sanos, illaesos à mor-
bis. Utamur eadem frugalitate & discretionem etiam
nos, erga domesticos si eos habeamus, si non erga do-
mesticum nostrum præcipuum, & animæ seruum cor-
pus dico; & habebimus illud semper subditum, san-
ctum, probum, sanum, & bene dispositum. Cor-
pora ista sobria & sana, animas mille fece-
runt sanctas, & modo corpora san-
cta eleuata sunt & colun-
tur religiose.

CON.